



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 6. Confusio in pœnam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

commendavit. Ambobus itaq; in conflictu durantibus, Heraclio victoriam Deus tribuit, & sunctum exercitum suo Imperio subiugavit, ad eò ut uniuersus populus Cosrhae fidei Christiana se subdiderit, & sacrum baptisma susceperit. Cosrhaes autem ignorabat exitum belli, quia cum omnibus odio esset, id à nemine ei intimabatur. Heraclius improvisò ad eum peruenit, & in throno aureo eum sedere reperiens, eidem dixit: Quia lignum S. Crucis secundum modum tuum honorasti, si baptismum & fidem Christi susceperis, adhuc vitam & regnum à pacis obsidibus obtinebis: sin verò implere contempseris, gladio meo te feriam, & caput tuum praeidam. Cum ille acquiescere nollet, extracto gladio protinus eum decollauit. Sic Siffridus, Breuiarium Rom. 14. Sept. à Sinochio proprio filio occisum ait. Ita theatralis Deus, Deus pariter & homo esse desijt, vitam simul & personam exuens. An non meritò? Iam dudum diuina æquitas Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1. 52.

§. III.

Confusio in pœnam.

In plerisq; vrbibus catasta est, in qua rei ludibrio exponuntur; & vulgaris pœna est, vt adulteri, vel adulteræ, cum cereo, vel virgis,

Psal. 88.

42.

virgis, in ignominiam, ante fores aditusq;
templorum statuuntur. Ita iudex quoq; di-
uinus peccatores infamiâ punit, in exem-
plum & emendationem aliorum, vt si eru-
bescere nolint, non faciant erubescenda. De
tali dicitur: *Diripuerunt eum omnes trans-
euntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.
Exaltasti dexteram deprimentium eum: lati-
ficasti omnes inimicos eius. Auertisti adiutori-
um gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello.
Destruxisti eum ab emundatione: & sedem eius
in terram collidisti. Minorasti dies temporis eius:
perfudisti eum confusione.* Quid miratur is se
diripi, qui pauperes diripuit, vt ditaretur?
quid queritur, se esse opprobrium vicinis
suis, qui ipse despexit vniuersos? quid de iu-
stitia Dei dubitat, quando videt se desertum
in bello, & hostes suos triumphare, qui ab-
usus est potentia, itaque subditos contra-
ius & fas pressit, vt ipse loco hostis habere-
tur? Pauperes, egeni, religiosi, quos avari
deglubunt, cum alioqui pro eis vota ad Su-
peros facere deberent, iniuria prouocati
hac oratione vtuntur: *Induantur, qui detra-
hant mihi, pudore: & operiantur, sicut diploi-
de, confusione sua.* An non debet iniquissime
pressos exaudire Deus? & prementes preme-
re vi-

Psal. 108.

29.

re vi-

re vicissim? An non mulier, seu anima potius in ruborem danda est, qua confusione res dignas gerit? Numquid, *Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum?* Deniq; sicut honor & gloria in sermone sensati, ita lingua imprudentis subuersio est ipsius. Non appelleris susurro, ait idem, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. Super furem enim est confusio & poenitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia. Hæc talia, isti tales merentur. Atq; utinam icti saperent, ne operiantur, sicut diploide, confusione sua, & non solum in hac vita, sed etiam in altera, æterna confusione induantur.

Prou. 12.
4.
Prou. 18.
13.
Eccli. 5. 15.

§. VII.

Confusio in medicinam

Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam: tum scilicet, si admoniti de errore resipiscant. Hinc ait Psalmista: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Postest enim contemptus & ignominia aperire homini oculos, ut & suam videat miseriam, & mundi agnoscat vanitatem. Qualem historiam ex PP. Dominicanorum Annalibus recitat

Escli. 4.
25.
Psal. 82.
17.